

16* *Sumario di le heresie de tre preti di Valchamonia, condanati a morir per lo Inquisitor di Brexa.*

Infrascripta habentur in confessionibus presbiteri Martini de Raymundis de Ossemo Vallis Camonicae, diocesis brixiensis, per ipsum judicialiter factis prout constat ex processu ejus rogato, et scripto per me Jacobum notarium Melga civem et abitorem Brixiae.

Primo namque dictus presbiter Martinus jam annis 10 praeeritis, vel circa, et ab inde citra ivit seu portatus fuit a demone in quodam monte Tonali ad ludum Sathanæ, in quo erat quidam demon principalis, quem sciebat esse diabolum, quem adoravit cum genibus flexibus sicut patronum et deum suum.

Ad instantiam ipsius diaboli abnegavit fidem Christi; sanctam crucem, quam ipse portavit ad dictum, ludum pedibus suis et sæpissime conculcavit et proiecit super illa de terra.

Ad dictum ludum, in monte supradicto, portavit pluries ostiam consecratam, quam ante illum demonem in terram proiecit. Dedit de oleo sancto aliquibus personis ad maliam faciendam.

Post sumptum sacramentum, dum missam celebraret, pluries expuit in terram et ipsum sputum conculcavit pedibus et instinctu demonis et propter irreverentiam.

Cum quodam libro, quem habuit a demone in suprascripto monte, facit grandinare in dicta Valle terribiliter.

De prae dictis numquam confitebatur. Ecclesiastica sacramenta propterea administrare non cessando.

Infrascripta habentur in confessionibus presbiteri Armani de Fostinonibus de Breno Vallis Camonicae, diocesis brixiensis, per ipsum judicialiter factis prout constat ex processu ejus rogato et scripto per me Jacobum notarium.

Primo namque, jam annis 25 praeeritis et ab inde citra assumptus a quodam diabolo qui dicitur Roboham, ivit, seu portatus fuit ad ludum in quodam monte Tonali in quo erat quidam principalis, quem sciebat esse diabolum, et quod fuit saltem bis in mense quolibet anno temporis per eum prae-

dicti; in quo ludo adoravit ipsum demonem sicut patronum et deum suum cum genuflexionibus.

Renegavit fidem Christi et baptismum.

Ad dictum ludum sanctam crucem et ostias consecratas pluries portavit, et illas ante illum demonem sedentem consignavit.

Ipsam crucem et ostias consecratas ad dictum ludum super dicto monte pluries portavit et illas consecravit dicto demoni, et illas pedibus suis sæpissime conculcavit, et super ipsa cruce diversa ludibria et ignominias fecit et super illa cum mulieribus cohibuit.

Pluries de tempore ab eum prae dicto ad dictum ludum in monte suprascripto aquam baptisterii de crismate quoque et oleo sancto portavit illaque omnia demoni prae dicto consignavit. Dicto demoni de spermate suo dedit ad facendum unguentum et chizolas.

Pluries missam celebravit hostiam non consecrando.

Post sumptionem hostiæ, demonis instinctu, in terram expuit.

Aquam baptisterii absque crismate aptavit.

Cum ostiis non consecratis varias et diversas personas in dicto tempore comunicavit.

Oleum sanctum infirmis ad mortem, licet requisitus, pluries non dedit et illud dare denegavit, qui infirmi absque sacra unctione post modum mortui sunt.

Oleum non benedictum oleo benedicto addidit, et de ipso oleo sancto diversis personis ad ignominias superstitiones et scelera perpetranda dedit.

Nunquam de talibus confessus est.

Infrascripta habentur in confessionibus cujusdam don Donati de Buzulo beneficalis in terra de Payscho Vallis Camonicae, brixiensis diocesis, per ipsum judicialiter factis prout ex ejus processu constat rogato et scripto per me Jacobum notarium suprascriptum.

Primo namque, quod modo possunt esse anni 14 vel circa et ab inde citra, multociens fuit corporaliter, seu portatus fuit a quodam diabolo sibi familiari nomine Martinello ad ludum sathanæ in quodam monte Tonali, in quo erat quidam demon principalis, quem ipsum don Donatus sciebat esse diabolum, qui erat maior aliis, quem demonem adoravit, sicut patronum et deum suum cum genuflexionibus et capite discoperto.